

XIV

aliqua cum laude vult atque dignitate inter viros doctos tueri, neque apud rudem modo plebeculam, et imperitam multitudinem, citra meritum, ita salutari, is, praeter adcuratam vtriusque linguae cognitionem, sine qua iuris nostri fontes, graecis latinisque litteris perscripti, nec rite intelligi, nec digne explanari queunt, et testem temporum, lucem vitae, historiam, cum exquisita antiquorum morum institutorumque notitia coniunctam, sine qua omnis omnino iurisprudencia caeca est, in primis solidae philosophiae, sine qua scientia nostra prorsus friget, praeceptis ac doctrinis, et mathematicis quoque disciplinis, quae ab humanioribus litteris vulgo quidem, sed inepte, disiunguntur, perpolitum ingenium subactumque iudicium ad artem nostram adferre debet, atque his demum verae eruditionis praesidiis instructus, his necessariis adcuratae doctrinae adminiculis subleuatus, dux et auctor esse poterit iuuenibus, qui iuris scientiae addiscendae causa in academiam venerunt, praesertim cum e scholis iurisconsultorum prodeant non caussarum modo patroni ac iudices, sed etiam, qui summam rempublicam domi militiaeque in partibus sibi concreditis aliquando sint administraturi.

Quae cum ita sint, Auditores, nemo profecto mirabitur, humaniorem ac liberaliorem iurisprudenciam in multis Germaniae academiis ad interitum inclinare,
et